

Memoria obbligatoria dei Santi Martiri Coreani

Si pubblica, per documentazione e per doverosa conoscenza, il Decreto della Congregazione per il Culto Divino, inviato, con lettera n. 570/85 del 12 marzo 1985, ai Presidenti delle Conferenze Episcopali Nazionali circa l'inserimento, nel Calendario Romano, della Memoria obbligatoria dei Santi Martiri Coreani, da celebrarsi il 20 settembre.

D E C R E T U M

Universale Dei propositum humani generis salutem perficiendi multimodis necnon nobis absconditis viis ad effectum adducitur, ita ut quod semel pro omnibus patratum fuit, in universis decursu temporum statutisque momentis mirabiliter suum finem consequatur (cf. Conc. Vat. II, Decretum *Ad gentes*, 3).

Spiritus Sanctus vero, qui omnes homines per semina Verbi prædicationemque Evangelii ad Christum vocat et in cordibus eorum fidei obsequium suscitat, gentes congregat in unum Populum Dei, qui est «genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus ad acquisitionem» (*1 Pt 2, 9*; cf. *Ad gentes*, 15).

Ecclesia autem non vere fundata est, non plene vivit, nec perfectum Christi signum est inter homines, nisi cum hierarchia laicatus veri nominis exstet ac laboret (*ibidem*, 21).

Quae omnia recognosci possunt in evangelizatione gentis Coreanae, apud quam ineunte saeculo XVII, quorundam laicorum zelo, primum fides christiana est ingressa. Casu quidem unico in ipsa Ecclesiae historia eveniente, antequam anno 1784 primus coreanus baptizatus a civitate Pechinensi in patriam revertisset, iam catholica fides in quibusdam communitatibus Coreae florescere visa est. Sed tum ab initio christifideles illius regionis immanes passi sunt persecuciones, quae ultra saeculum perdurantes innumeros Ecclesiae martyres dederunt.

Fortis ac fervens communitas christiana quinquaginta fere annos a principio sine pastoribus fere tantum a laicis ducta atque fota est usque ad annum 1836, quo vertente primi missionarii e Gallia venientes furtim in regionem intraverunt. Ex hac communitate, in persecutionibus annorum 1839, 1846, 1866 et 1867 centum tres martyres exorti sunt, inter quos eminent primus presbyter et ardens pastor animarum Andreas Kim Taegön et insignis apostolus laicus Paulus Chöng Hasang. Omnes autem isti, Christi athletae, inter quos sunt Episcopi, sacerdotes et prævalenter laici, viri ac mulieres, matrimonio iuncti vel non, senes,

iuvenes et pueri, suppicio affecti pretioso martyrum sanguine copiosa Coreanae Ecclesiae primordia consecrarunt.

In Beatorum numerum antea relatos, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 6 maii 1984, durante peregrinatione apostolica ab eo per Coream facta, inter Missarum sollemnia, eosdem Beatos martyres catalogo Sanctorum adscripsit.

Cum vero martyres aliosque Sanctos, momentum universale prae se ferentes (cf. Conc. Vat. II, Constitutio Apostolica *Sacrosanctum Concilium*, 111), atque Christi mirabilia in servis eius Ecclesia extollat eorumque exempla imitanda cunctis praebeat fidelibus per liturgicas memorias, Calendario Romano generali inscriptas, quibus ipsos per anni circulum recolit ac celebrat, opportunum visum est numero Sanctorum, qui in diversis continentibus Evangelii praedicatione ac sanguine suo Ecclesiam aedificarunt vel illustrarunt, et illos adiungere, qui in Coreana regione catholicae religionis exordia glorioso martyrio consecrarunt, unam Christi in mundo familiam congregantes.

Instante quidem Episcoporum Coetu Coreano, litteris die 8 aprilis 1984 datis, ut celebratio Sanctorum martyrum Coreae Calendario Romano generali inscriberetur, Summus Pontifex Ioannes Paulus II eandem celebrationem in Calendarium Romanum inseri decrevit, statuens ut memoria Sanctorum martyrum Coreae quotannis die *20 septembris* gradu *memoriae obligatoriae* ab omnibus peragatur.

Nova igitur memoria cunctis *Ordinibus* pro Missae et Liturgiae Horarum celebratione erit inscribenda atque eius indicatio ponetur in libris liturgicis cura Conferentiarum Episcoporum in posterum edendis.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis pro Cultu Divino, die 12 martii 1985.

+ VERGILIUS NOË

*Archiep. tit. Voncariensis
a Secretis*

+ AUGUSTINUS MAYER, o.s.b.

*Archiep. tit. Satrianensis
Pro-Praefectus*